

men æque solet epiikia attribui præceptis affirmativis ac negativis, quod recte explicatum verum quidem est. Videtur autem mihi id proprius dici (nisi sit quæstio de modo loquendi) in præceptis affirmativis quæ habent certum tempus designatum pro quo impleri debent: nam si in eodem tempore veniat non cogitatum impedimentum, habet locum propriissime epiikia. Idemque erit in quibusdam præceptis affirmativis quæ, propter negationem quam involvunt vel in qua fundantur, obligant pro semper seu ad statim moraliter, ut est præceptum restituendi et similia. In his enim quælibet dilatio per occasionem justam dici potest excusatio et epiikia. Quando autem præceptum affirmativum nec pro statim obligat, nec pro certo tempore, sed arbitrario, tunc non videtur in illa habere proprie locum excusatio vel epiikia, propter argumentum factum, quamvis lato modo interdum appelletur.

Superest ad rationes in principio positas respondere; pendent autem ex quibusdam dubiis quæ in capitibus sequentibus commodius expediuntur.

## CAPUT VII.

QUANDO HABEAT LOCUM EXCUSATIO AB OBLIGATIONE LEGIS PER EPIIKIAM, SEU ÆQUITATEM.

1. In hoc capite explicandum est quid sit necessarium ut obligatio generalis legis in particulari casu cesset. Aliqui putant sufficere ut ratio legis in tali casu particulari cesset negative, id est, quod in eo non inveniatur ratio quæ legislatorem movit ad ferendam legem. Citatur pro hac sententia divus Thomas 2. 2, quæst. 147, art. 1 et 2, quia significat præceptum jejunii non obligare eos in quibus necessitas propter quam præceptum est jejuniu non invenitur. Sed immerito allegatur divus Thomas, quia ibi ad obligationem præcepti solum requirit generalem rationem quæ communiter et ut plurimum communitati conveniat; ad excusationem autem in particulari requirit causam rationabilem. Potest autem hæc opinio tribui Cajetano, t. 1 Opusc., tr. 1, quæst. 2, et Navarro in Sum., cap. 16, n. 37, qui specialiter hoc admittunt in lege quæ aliquid præcipit vel prohibet solum propter vitanda incommoda; nam, eo ipso quod in particulari non sequantur illa incommoda, dicunt cessare obligationem legis, etiamsi ex observatione legis nulla incommoda sequantur. Et Cajetanus ponit exemplum in lege prohibente

matrimonium clandestinum ante Concilium Tridentinum. Sed de hoc exemplo et de hoc genere legum quæ solum dantur propter vitanda incommoda dicam commodius in sequenti capite. Eandem sententiam tenet Panormitanus in capit. *Quoniam*, de Probation., numero 6, ubi doctrinam extendit ad legem jejunii et alias similes leges Ecclesiæ; et allegat Archid. in capit. *Utinam*, 76, d. *Post B. Thomam* (ut ait), alludens ad locum citatum D. Thomæ, illum enim Archid. adducit. Idem latius docuit Panormitanus in capit. *Quia in insulis*, de Regularib., generalem regulam constituens cessante ratione legis in particulari, cessare legis obligationem, et ita exponit caput illud. Cum enim in monasteriis monachorum existentibus in insulis requiratur ætatem annorum 18 ad professionem, *quia in insulis durior est congregatio monachorum*, ait Panormitanus ubi non fuerit durior, etiamsi monasterium sit in insula, non requiri illam ætatem; sequitur Ang. verb. *Lex*, n. 4, casu 7; inclinatur etiam Sylv. ibi q. 8 et 9, verb. *Octavo*, et Adrian., quodlib. 6, post secundam conclusionem.

2. Fundari solet hæc sententia in assertione tertia posita in quarto capite, et in omnibus juribus et rationibus quæ ad illam confirmandam adducta sunt, et in regula *Cessante causa cessat effectus*, c. *Cum cessante*, de Appellat., quæ ita potest applicari. Nam ratio legis adæquata et qualis dicto capite explicata est, est in suo genere causa adæquata obligationis legis; ergo illa cessante in quocumque casu particulari, cessat obligatio legis. Antecedens probatur, tum quia ratio legis est anima legis; ergo non minus est causa adæquata obligationis quam ipsa lex, quia sicut corpus sine anima movere aliud non potest, ita nec lex sine ratione potest subditum obligare; tum maxime quia justitia legis pendet ex ratione, et ita deficiente ratione deficit justitia, et consequenter vis obligandi; tum denique quia lex ordinari debet ad bonum commune; ergo non descendit ad particulares casus, nisi mediante influxu communis boni; sed ubi cessat ratio legis non influit commune bonum, quia ibi non participatur; ergo nec lex ibi obligat, quia deficiente influxu causæ primæ seu universalis, secunda seu particularis non operatur.

3. *Ut obligatio legis cesset, oportet deficere rationem legis non negative solum, sed aliquo modo contrarie.* — Hoc vero fundamentum debile est, ideoque prædicta sententia, nisi sano modo explicetur, defendi non potest. Dicendum

ergo est, ut obligatio generalis legis in particulari casu cesset, non satis esse quod ratio legis negative deficiat, sed necessarium esse, ut deficiat contrarie aliquo modo. Hanc doctrinam tradidit Cajetan. 2. 2, quæst. 120, et sequitur Soto, dicto articulo 8, et quæstion. 7, art. 3, vers. *Sed argues*, et l. 3, quæst. 4, art. 5, in fine; Lesdesm., 2 part., quæst. 17, art. 2, dub. 3, in fine, et quæst. 18, art. 2, dub. 12 et 14; Navar. supra; Covarr. in 4, 2 p., § 9, n. 8; Medina, de contr., quæst. 14. Et eam indicat D. Thomas dum semper exempla epiikiae ponit in casibus in quibus lex deficit contrarie, ut si redditio depositi sit ad nocendum innocenti, vel si observare præceptum non aperiendi portas civitatis noctu sit in perniciem plurium civium quos hostes persequuntur; et ita in 2. 2, quæst. 120, art. 1, requirit casum in quo legem servare sit nocivum, et subdit: *In his ergo et similibus casibus malum est sequi legem positam.* Ubi Cajetanus sic declarat rationem epiikiae, quia *sequi verba legis in quibus non oportet vitiosum est.* Et eodem modo loquitur in 1. 2, quæst. 96, art. 6; et idem sentit 2. 2, quæst. 147, art. 3, ad 2, ubi generaliter ait: *Præcipue si casus sit talis in quo legislator, si adesset, non decerneret esse legem servandam.* Et idem sumitur ex Aristotele supra, ut statim explicabo. Duas autem partes habet hæc sententia: una est affirmans cessare obligationem legis, quando ratio legis cessat contrarie, et hanc supponimus ut claram, tum a sufficienti partium enumeratione, tum quia lex obligare intendens pro tali eventu esset iniqua vel inhumana, ut magis ex puncto sequenti constabit.

4. *Probatum non sufficere rationem legis negative cessare.* — Altera ergo pars est negans sufficere quod ratio legis negative cesset. Et hæc probatur primo contraria ratione, quia si solum negative ratio legis cesset, non erit malum servare legem, nec etiam erit injustum vel inhumanum ad eam servandam obligare; ergo non est cur cesset ejus obligatio. Consequentia probatur ex Aristotele dicente tunc epiikiam habere locum quando lex *peccat*, id est, peccaret et injusta esset si in tali casu obligaret; et ideo etiam dicit *epiikiam esse directionem legis*, utique ne a recto deficiat. Unde sic concluditur: sicut epiikia, ita etiam cessatio obligationis solum habet locum ubi obligatio ipsa esset contra rationem justitiæ vel debitam legislationem, si ad talem casum extenderetur; sed obligando in casu ubi tantum negative deficit ratio legis, non peccaret

lex, quia nec malum aliquod nec quidpiam inhumanum præciperet; ergo. Major patet, quia tunc nulla superest sufficiens ratio cur cesset legis obligatio: nam cessante ratione illo modo potest manere justa voluntas obligandi. Minor autem et primum antecedens patet, quia potest actus esse de se bonus etiamsi non sit necessarium alicui ad macerandam carnem, vel satisfaciendum pro peccatis, et carentia actus poterit esse bona etiamsi finis legis prohibentis illum cesset, ut abstinere a clandestina desponsatione, etc., et idem est in similibus.

5. *Multa absurda ex contraria sententia sequuntur.* — Unde argumentor secundo inductione, quia innumera sequuntur absurda, si tanta licentia detur non servandi leges in casibus particularibus, solum quia in eis negative cessat ratio legis. Sic enim in præceptis Ecclesiæ possent viri perfecti excusari a jejunio, quia non sentiunt illius necessitatem ad fines ab Ecclesia intentos. Imo fornicatio posset censi non prohibita in casu in quo evidenter cessaret ratio talis prohibitionis, ut si nullum omnino esset periculum malæ educationis proli, propter quam vitandam concubitus vagus prohibitus est. Et in materia obedientiæ posunt facile similia exempla multiplicari. Unde est optima ratio a priori, quia, licet ratio legis in particulari cesset negative, semper manet aliqua universalior ratio ob quam expedit etiam tunc servari legem, tum quia esset valde contrarium bono communi, si propter illam solam causam possent leges non servari, tum etiam quia per se est honesta ratio servandi legem uniformitas partium cum toto, ubi sine incommodo servari potest.

6. Atque hinc retorquetur ratio contrariæ sententiæ. Quia, licet ratio legis cesset in hac persona quoad particularem necessitatem vel utilitatem intentam per legem, non tamen cessat quoad vim obligandi illam per legem, quia licet illa ratio tantum ut plurimum locum habeat, est sufficiens ut lex juste feratur pro omnibus qui illam servare possunt, etiamsi ratio illa in eis cesset. Quod sic declaro: nam, licet legislator advertat et prævideat rationem defecturam in aliquibus vel distincte vel tantum confuse cogitatis, nihilominus potest juste velle ut indistincte obliget omnes dum contrarium impedimentum æquitati repugnans non obstiterit: ergo ita est interpretanda voluntas legislatoris: ergo ex vi illius obligabit lex. Antecedens patet quia voluntas in illa universalitate sua nititur in alia ratione generaliori,

quia ita expedit ad commune bonum et privato non nocet, quia semper est illi utile obedire, et justitiam legalem servare quam in tali observatione legis intueri potest. Prima vero consequentia clara est, tum quia verba generalia legis hanc voluntatem indicant, et nulla est sufficiens ratio exceptionis, tum etiam quia illa voluntas est prudentior et rationabilior: ergo illa præsumenda est. Denique secunda consequentia constat, quia voluntas justa legislatoris est anima legis, et quia lex obligat ad materiam præceptam, non ad finem præcepti, ut supra dictum est.

7. Et ita expenditur contrarium fundamentum, quia jam declaratum est quo modo hæc obligatio in casu pertineat ad bonum commune, quia, licet tunc subditus non participet illam utilitatem intentam per legem, participat generalem utilitatem quæ est in observanda lege et in uniformitate cum suo corpore, et ex hoc capite lex illa est justa, et fundatur in ratione altiori. Et hinc patet responsio ad primam rationem in principio præcedentis capituli positam; procedit enim quando ratio tantum negative cessat, non tamen quando cessat contrarie. Solet autem instari contra hanc resolutionem ex præcepto correctionis fraternæ. Sed de hoc puncto dicam commodius infra c. 8, ubi hæc assertio magis confirmabitur.

8. *Quid requiritur ut ratio vel finis legis cesset contrarie.* — Ut autem magis explicetur, oportet amplius declarare quid sit necessarium ut ratio vel finis legis cesset contrarie; et specialiter an sit necessarium ut in tali casu servare legem sit malum et peccatum. Cajetanus enim, dicta q. 120, art. 1, ex professo contendit tunc solum habere locum epiikiam, quando lex ita deficit ut servare illam sit iniquum; putatque esse sententiam D. Thomæ in 3, dist. 37, q. 1, art. 4, ubi docet epiikiam tunc solum habere locum *cum observando legem discreparet quis ab intentione legislatoris*, quod solum videtur contingere quando discederet a rectitudine. Clarius tamen favet in aliis locis allegatis, indicat enim tunc solum cessare in particulari legis obligationem, quando observantia illius mala esset, imo interdum solum excipit casum in quo esset nociva reipublicæ. Ad idem inducit Cajet. Aristot. dicentem epiikiam esse directionem legis *quia peccat propter universale*: solum autem peccare posset si obligaret ad actum iniquum. Item epiikia est pars justitiæ: ergo materia ejus est operatio quæ non esset recta si secundum legem universalem fieret, et non secundum

æquitatem epiikæ. Tandem argumentor ab inconvenienti, quia alias fornicatio posset esse licita, si necessarium non esset rationem legis contrarie in dicto sensu deficere. Et cum hac sententia Cajetani transeunt fere Soto et alii posteriores theologi.

9. *Epiikia habet locum, licet licitum sit actum præceptum facere.* — Videtur tamen hæc sententia nimis rigida et limitata, quia sæpe potest homo excusari ab observantia legis generaliter loquentis, etiamsi posset licite actum per illam præceptum facere, vel prohibitum omittere: ergo non tantum cessat obligatio legis in particulari, nec solum habet locum epiikia, quando observare legem esset iniquum, sed aliquando ac sæpe illum habebit, etiamsi iniquum non sit, solum quia est nimis grave aut difficile. Consequentia clara est, quia si epiikia solum haberet locum quando servare legem esset iniquum, quoties licita esset epiikia esset etiam sub obligatione, quia vitare id quod iniquum est semper cadit sub obligationem; ergo e contrario, si absque tali obligatione potest interdum non servari lex, potest etiam licita esse epiikia etiam in casu in quo sine peccato posset lex observari. Antecedens autem manifestum est ex supra dictis de obligatione legis humanæ cum periculo vitæ, vel alio magno incommodo: nam inde constat propter vitandum magnum gravamen licitum esse non servare legem, quamvis si velim cedere juri meo possim facere actum præceptum cum illo gravamine; ergo excusatio non semper est cum obligatione non faciendi actum præceptum, nec oritur semper ex iniquitate actus, sed ex alio jure quod homo habet, ut non tam serviliter (ut sic dicam) obligetur. Deinde fit res clara exemplis; nam interdum potest homo qui per se obligatur ad confessionem integram peccatorum excusari a confessione alicujus, quia non potest illud aperire sine gravi periculo infamiæ; et nihilominus poterit confiteri illud licite si sua sponte velit se exponere periculo illius infamiæ, hoc enim nullum peccatum est. Item damnatus ad justam mortem famis non tenetur abstinere a cibo si copiam illius habeat, et tamen potest sine peccato abstinere si velit: ergo idem esse potest in præsentia. Ut in statu Carthusianorum abstinendi a carnibus, etiamsi esset propria lex obligans de se in conscientia, posset sine peccato non servari propter periculum mortis, et nihilominus probabilissimum est posse etiam servari si quis velit secum illo rigore uti. Et in jejuniis aliisque ordinariis obligatio-

nibus Ecclesiæ sæpe est licita excusatio propter ægritudinem vel similem causam, et nihilominus si quis actum præceptum faciat, non obstante excusatione, non solum non peccabit, verum sæpe etiam opus supererogationis faciet.

10. *Quod munus est proprium epiikæ.* — Quapropter mihi certum videtur ad virtutem et prudentiam pertinere, non solum discernere quando observatio præcepti quoad verba mala sit, sed etiam judicare quando non obliget, etiamsi absque peccato ad litteram servari possit. Unde si quis dixerit utrumque spectare ad materiam et munus epiikæ, nihil fortasse ab scopo aberrabit. Nec contra hoc urgent rationes Cajetani. Omnes enim facile solvuntur advertendo non solum esse alienum a prudenti legislatore iniqua præcipere, sed etiam inhumana et graviora quam humana conditio patitur vel quam ratio communi boni postulet, ut ex dictis supra in communi de lege manifestum est. Ergo non solum peccaret lex præcipiendo quod non debet, id est, iniquum, sed etiam præcipiendo quando vel quomodo non debet, id est, obligando cum majori rigore quam par sit. Utrumque ergo peccatum legis emendat epiikia, et in utroque habet locum definitio Aristotelis et discursus ejus, et eodem modo est intelligendus D. Thomas. Nam intentio legislatoris non solum est recta præcipere, sed etiam recte, et ideo qui observat legem tanquam obnoxius illi, quando per illam non obligatur propter occurrentem causam excusantem, ab intentione legislatoris discrepat, etiamsi actus quem facit malus non sit. Ad rationem autem quod epiikia est pars justitiæ, respondeo, etiam hic intervenire rationem justitiæ ex parte legislatoris non obligandi in tali casu per suam legem, etiamsi exequi illam malum non sit; ideoque si ad ipsum legislatorem fieret recursus in tali casu, deberet secundum justitiam interpretari legem tunc non obligare. Unde ex parte subditi satis est quod possit juste et non declinando a rectitudine non servare legem in tali casu, si velit, etiamsi ad hoc non obligetur: nam ad hoc etiam specialis prudentia necessaria est. Sicut in materia justitiæ, ex æquitate aliquando judicamus aliquem non obligari ad restituendum, cadendo a statu suo, licet si id faciat peccati argui non possit. Ad ultimam vero sequelam de fornicatione negatur illatio, quia non dicimus ad epiikiam sufficere, ut ratio legis negative cesset, in qua illatio illa fundatur, sed dicimus posse cessare contrarie, etiamsi observantia legis prava non fiat, si nimis intolerabilis fiat: nam tunc etiam

est contra legislatoris intentionem, et hoc est cessare contrarie.

11. *Non solum iniquum, sed valde difficile corrigit epiikia.* — *Triplex modus utendi epiikia.* — Constat ergo epiikiam non solum habere locum quando alias lex in tali casu præciperet rem iniquam, sed etiam quando præciperet rem acerbam et nimis difficilem; in utroque enim casu peccaret lex præcipiendo injuste, vel quia malum præciperet, vel quia immoderate et ultra potestatem legislatoris. Adde vero ulterius habere locum epiikiam in casu in quo non deesset potestas in legislatore ad obligandum, sed ex circumstantiis judicatur non fuisse hanc mentem ejus. Quia non semper Prælati vult obligare cum toto rigore et in omni eventu in quo posset obligare; ut, verbi gratia, non solum censetur quis excusari a præcepto jejunii propter ægritudinem gravem in qua non posset superior obligare, sed etiam propter minorem debilitatem, qua non obstante potuisset Ecclesia obligare, sed nihilominus creditur ex benignitate noluisse, quæ intentio legislatoris colligi potest ex aliis circumstantiis temporis, loci et personarum, et ex ordinario modo præcipiendi cum illa moderatione subintellecta, licet non exprimat. Et hunc certe modum videtur significasse Aristoteles cum dixit epiikiam emendare legem, quod et ipse legislator, si adesset, hoc modo dixisset, id est, ita esset moderaturus et interpretaturus legem suam. Sic etiam dixit divus Thomas munus epiikæ esse, prætermis- sis verbis legis, intentionem legislatoris sequi. Ergo ad epiikiam non est necesse interpretari casum non comprehendi sub lege, quia legislator non potuit sua lege illum comprehendere, sed etiam sufficere si interpretemur noluisse illum comprehendere, licet potuerit: nam et hoc sufficit ad excusationem ab obligatione legis, et sæpe contingit aliam esse legislatoris voluntatem ab ea quam nuda verba præ se ferunt, ut ex præcedentibus capitulis constat. Et ita ibi etiam intervenit emendatio legis quatenus plus verbis videtur comprehendere quam fuerit in voluntate legislatoris. Igitur recte vocatur hæc epiikia. Et ita tres modi vel rationes utendi epiikia distingui possunt, ut unus sit propter cavendum aliquid iniquum, alius propter vitandum acerbam et injustam obligationem, tertius propter conjectatam legislatoris voluntatem, non obstante potestate.

12. *Quando utendum sit epiikia.* — Quod si quis inquirat quibus regulis utendum sit ad fa-

ciendas hujusmodi exceptiones, respondeo breviter, in primo modo præcipue considerandum esse, an in eo casu occurrat aliud præceptum, præsertim juris divini et naturalis cui repugnet executio legis humanæ secundum verba ejus, et consequenter an actus tunc habeat injustitiam vel malitiam inseparabilem, vel saltem contra præceptum gravius et magis obligans, et juxta hæc principia debet fieri judicium. In secundo modo consideranda sunt supra dicta de modo obligandi legis humanæ, et juxta illa judicandum erit an hoc factum particulare cum his circumstantiis excedat potestatem legis humanæ. In tertio vero magis est utendum conjecturis ex circumstantiis desumptis, et præsertim ex usu et modo regiminis, et ex more interpretandi similes leges.

13. *Aliquando obligatio legis cessat propter bonum personæ particularis.* — Unam tamen in particulari inferam ex dictis, propter opinionum varietatem, non solum posse cessare obligationem legis quando in particulari eventu esset contra bonum commune servare legem, sed etiamsi sit tantum contra bonum particularis personæ, dummodo sit nocendum grave et nulla alia ratio communis boni obliget ad illud inferendum vel permittendum; nam tunc justitia vel charitas jubet evitare tale nocendum proximi, cui non potest lex humana rationabiliter opponi. Ita Soto supra et omnes, nec refragatur D. Thomas; nam licet in dicto articulo sexto loquatur de detrimento communis boni, sub illo comprehendit detrimento particularium civium; nam in damnum civitatis redundat, ut manifeste patet in exemplo quo utitur, et alia sunt facilia; nam propter subveniendum proximo graviter infirmanti interdum licere potest Missam omittere in die festo, et sic de aliis. Dicunt vero aliqui hoc solum habere locum quando tale est detrimento proximi ut non possit cedere juri suo, ut est in periculo vitæ, vel simili; non autem quando potest cedere juri suo, ut erit in bonis temporalibus, quia tunc detrimento privatum non vergit in damnum communitatis: si enim vergeret, non posset privatus illi renunciare. Sed hoc verum non est, tum quia etiam propter vitandum grave nocendum proximi temporale quod ipse posset voluntarie sustinere si vellet, licitum est interdum non observare præceptum, ut, verbi gratia, si incendium domus imminet, vel quid simile, quia lex nec obligat illum qui patitur damnum ad cedendum juri suo, nec alium ad non succurrendum illi ipso invito, propter au-

diendam Missam, verbi gratia. Item quia illud damnum semper redundat in communitatem ejus interest ut bona civium non dilapidentur.

14. Aliter limitant juristæ dictam assertionem ut procedat quando detrimentum vel proprium vel proximi est in bonis acquisitis, non vero in acquirendis: nam ex hoc sumi non potest sufficiens excusatio, quia illud non est verum detrimentum, seu damnum emergens, sed tantum lucrum cessans, quod non consideratur, alias possent homines non servare præcepta, ut suis lucris attenderent. Ita fere Bart. in l. *Non duorum*, c. de Legibus, n. 9, quem alii multi secuti sunt, quos late refert Tiraquellus in dicto tract., n. 151. Statim vero n. 152 refert Salicet. contradicentem, et plura contra illam distinctionem congerit Felinus in c. *Si quando*, de Rescriptione, n. 11. Nobis ergo non servit distinctio; nam si damnum sit leve, licet sit in bonis acquisitis, potest non sufficere ad excusandum ab obligatione legis; si vero lucrum cessans sit justum et grave, sæpe æquiparatur damno, moraliter loquendo, ut constat ex lege unic., c. de Sententia quæ pro eo quod interest profer., in fine. Et usu receptum videmus excusari aliquem ab observatione festi, ne currentem et transeuntem occasionem magni lucri amittat. Igitur, licet vitatio damni emergentis ex genere suo justior et gravior causa sit, tamen etiam alia potest sufficere, et in universum loquendo, omnia sunt consideranda ut prudens judicium in contingenti casu feratur.

## CAPUT VIII.

QUOMODO DE EXCUSATIONE OCCURRENTE CONSTARE DEBEAT UT EPIIKIA UTI ET LEGEM NON SERVARE LICEAT SINE RECURSU AD PRINCIPEM.

1. *Si lex ex aliqua circumstantia sit iniqua, cessat obligatio sine recurso ad principem.* — Hæc omnia postulatur in posteriori ratione dubitandi cap. 5 proposita, et inter se sunt connexa, ideoque simul tractanda ac definienda sunt. Variis ergo modis occurrere potest casus excusationis, scilicet, cum evidentia et certitudine quod tunc malum sit et iniquum servare legem; secundo cum simili certitudine quod lex non obliget licet servari possit sine peccato. Potest autem contingere ut hoc secundum non sit æque certum, sed tantum probabile, vel etiam dubium. Tertio, potest esse casus tantum probabilis in utroque; quarto, dubius in utroque; quinto, potest esse certum

in observatione legis nullum esse peccatum, excusationem autem ejus esse tantum probabilem aut dubiam. Primo ergo dicendum est, quando certo constet materiam legis ex accidenti eventu vel circumstantia factam esse iniquam, seu contrariam alteri præcepto aut virtuti magis obliganti, tunc cessare obligationem legis, et propria auctoritate posse omitti sine recurso ad principem. Sumitur ex D. Thoma, d. quæst. 120, art. 1, ad 3, dicens: *In manifestis non est opus interpretatione, sed excusatione.* Idem fere habet dicta quæst. 96, art. 6, ad 2, ubi etiam Cajetanus et omnes. Et ratio est, quia ibi superioris auctoritas nullum effectum habere potest; nam etiamsi, post recursum ad illum, vellet ut subditus legem servaret, non posset illi obedire, quia obediendum est Deo magis quam hominibus; ergo impertinens est in eo casu licentiam postulare. Dices: interdum propter bonum ordinem servandum necessaria est licentia petita, etiamsi non sit necessaria obtenta; ergo saltem ob hanc causam erit consulendus princeps in hujusmodi casu, quando periculum non imminet, et datur locus ac tempus ad id præstandum. Respondeo, ex communi sententia, etiam hoc non esse necessarium in tali casu, quia nulla est lex quæ obliget ad illam facultatem petendam, nec ex natura rei est necessaria, quia subordinatio subditi ad legislatorem per se illam non postulat. Si autem in aliquo casu publico id iudicetur necessarium ad vitandum scandalum, vel propter aliam similem causam, id est accidentarium.

2. *Certitudo legis non obligantis tollit recursum ad principem.* — Secundo dicendum est: quando certo constat legem non obligare, etiamsi possit sine peccato servari, subditus propria auctoritate potest illam non servare. Probatur eadem ratione, et ita doctores de his duobus casibus indistincte loquuntur; solum ergo illos distinguo ut notem differentiam, quia in priori casu non solum potest subditus, sed etiam tenetur legem non servare, sive petat licentiam a superiore, sive non petat; at vero in hoc posteriori casu, licet possit agere contra verba legis, ad hoc non obligatur quando certus est in observantia legis non committi peccatum. At si de hoc dubitet, pro ratione dubii judicandum erit. Nam si dubium sit tantum formidinis, et probabiliter iudicet non esse peccatum conformari verbis legis, libere poterit id facere si vellet, quia iudicium probabile tollit practice dubium. Si autem dubium sit proprium et negativum, tenebitur subditus

partem securiorem sequi, et abstinere ab opere, licet videatur conforme verbis legis, quia tunc nullum habet principium quo expellat practicum dubium, quia tunc ille est certus se non peccare non observando legem, cum supponatur esse certus quod illa non obliget; ergo tenetur illam viam certam sequi et relinquere dubiam. Patet consequentia, quia tunc nec juvari potest auctoritate legis seu superioris ad deponendam conscientiam dubiam, quia jam illi certo constat legem non comprehendisse opus illud de quo est dubium, ut supponitur, nec etiam potest juvari iudicio probabili, quia nullum habet, ut etiam supponitur; ergo nullo modo licet operari cum tali dubio, quod necessario esse debet practicum.

3. *Judicium probabile tollit recursum ad principem.* — Tertio, dicendum est: qui probabiliter iudicat legem non comprehendere casum illum, secure potest excusari ab obligatione legis, etiamsi formidet vel utrinque habeat rationes probabiles dubitandi. Ita tenent Cajetanus et Soto supra, et Medina, et alii moderni in dicto articulo 6. Sumitur ex Sylvest., verb. *Papa*, quæst. 16, in fine, saltem juxta distinctionem infra dandam. Idem Cordub., Henricus et Sanci. infra referendi, et idem sentit Navarrus in Summa, prælud. 9, n. 16, cap. 23, n. 43, dicens excusari a peccato mortali qui transgreditur legem humanam bona fide et ex justa causa; illam vero esse causam justam ob quam legislator, si adesset, eum pro excusato haberet. Utrumque autem concurrat in præsentem, ut constat; unde fundamentum assertionis est, quia licet sequi iudicium probabile, conscientiam dubiam practice deponendo.

4. *Limitatio Cajetani et Soto.* — *Duplex modus epiikie notandus.* — Hanc vero assertionem limitant Cajetanus et Soto supra, ut locum habeat quando occasio est subita et urgens periculum, ita ut non detur tempus consulendi superiores; alioqui dicunt in illo casu recursum esse ad superiores; et ita exponunt divum Thomam utentem illa distinctione, quia non potest in alio dubio verificari, ut statim dicemus. Hæc vero doctrina aliquibus modernis non placet, neque putant distinctionem illam divi Thomæ de casu in quo potest vel non potest conveniri superior, posse applicari ad casum formidolosum cum iudicio probabili, quia quod superior possit vel non possit conveniri, nihil refert ad certitudinem iudicii de tali casu, an sub lege comprehendatur necne. Ideoque distinguunt duos modos epiikie supra, scilicet, vel excipiendo casum a potestate le-